



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Capvt VI. Sanctissimæ Christi animæ decora, ex illustrioribus eorum in Scriptura typis, iuxta Patres, per Satyram.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)

superficiem habetur, priuationem gratiæ, in hominibus procreantur ex Adamo & destinatis ad finem supernalem, carentibus tamen principio ad id necessario; esse verum peccatum; sed alterius rationis quàm actualis; Transfundi autem per generationem ex primo homine; quia cum ille pacto non steterit, vi cuius si ei detulles, infundenda erat in generatione sanctitas, merito ob defectum prædictæ conditionis destituitur gratia. Quod iuxta modum philosophandi propositum, non difficile intelligi videtur. Abucata opusc. 6. id declarat exemplo. *Sicut Agricola* (inquit) si accipias palmitem, tinctumque oleo plantis; olei qualitate, in ipsum etiam fructum, hoc est in vnam redundat. Sic & Adamus, cum naturam omnis macula exemptum excepisset, eam peccato, variisque affectibus contaminavit, cuius contagio ad nos vsque manavit. *Guilielmus Parisiensis* l. b. de vitiis & peccatis c. 1. adducit ad hanc veritatem, exemplo maculati, aut notati genituarum, quæ in nonnullis, ex matris pregnantis vel concipientis imaginatione contingunt. Id quod etiam in equis & columbis variegatis, cum porporeis aliæve colore producendis, vbi esse tractat *Oppianus* l. 1. de venat. ad versu 327. vbi *Ritterhus* & *Guilber Longelio* dialo. de animalibus refert, panes in Norwegiam illatas, varij vi assoleat coloris, omnes innotantes, & ninium alborem oculis semper obuertere habentes, albos panes excludere. Similiter ergo peractam primi parentis intra quem continebatur imaginationem, intemperantiæ suæ notam nobis omnibus impressit, ratiocinatur *Guilielmus*.

Nec minus apta, vel etiam aptior esset manu ductio et illa notis gentilitis & toti alicui familiæ, aut genti communibus, quarum meminit *Aristoteles* 7. histor. cap. 2. & ex aliis *Dalechampius* ad l. 7. *Plinius* cap. 12. *laqueus Priatus* decade 1. c. 7. necnon *Tiraq.* cap. 36. de nobilit. *quæda supposita* vocat *Aristoteles* in arte Poëtica. Sic *Spartatis*, lancea; *Pelopidis* non eburneus vultu in fibulis, sed nota aliqua ebur referente impressa hominis, signum gentilitium erat, vt est apud *Nazarenum* Epistola ad *Themistium*. Apud *Heliodorum* luo. Caricia orbiculo nigro, forma eburni brachio impressa, tanquam ex signo gentis proprio, agnita est post longam à domo paternam ablegationem. *Antochorum*, *Seleucidarum* gentium notam, memorat *Iustinus* l. 14. & *Aulianus* in claris viribus, cum de *Antiochia*. *Conzanorum* Reges, aquilæ nigre insignem huiusmodi impressum à natura, designat, vt est apud *Macam* *Venerum*. Quemadmodum ergo prædicti, naturalem illam notam habere, quia ex maioribus similitudine affectis prodibant; (quantum interdu luctu nature, filios signis illis destitui, eadem verò in reprobis regenerari, notant supra *Aristoteles*, & *Plinius* cap. 11.) Ita quotquot ex parentibus primis prodierunt, inuili characterem paternæ inobedienciæ tanquam nota gentilitis, vitam saluam. Et quemadmodum in corporibus id accidere nemo dubitat, tam frequentem experimento contestante; rationem tamen perspicuam & idoneam notarum illarum reddere, est admodum operosum, ita infici prolem & notari gentilitis huiusmodi signate, dubitare non licet: quamvis modus quo notatur, non esset adeo liquidus. Quæquam vt præmissum est, videtur iuxta prædicta intelligi ratio huius peccati non incommode.

Repugnantiæ proposita, concluditur.

110. Perspicue quoque ex doctrina proposita constat, implicare manifestè vt substantia animæ Christi, procreandi sanctitatis debite subiacere potuerit. Nam animæ Christi erat physicè copulata cum sine vltimo in persona Verbi. Tantum ergo abest vt ab eo potuerit scelli, vt potius coniunctio cum eo, & Deus ipse, esset

Theoph. Raynaldi Christum.

de constitutione Christi. Ex ea autem physica copulatione cum personalitate Verbi, consequbatur connaturaliter gratia sanctificans. Tamen sanctitas increata Dei, per modum formæ moralis sanctificabat animam cui immediatè iungebatur; & eaque fragrantia & vnguenti diuini suauitate delibata anima, impossibile erat vt putorem peccati suboleret. Multo enim magis cum diuinitate sic inungente & perfundente ad modum formæ moralis, pugnat peccatum quodcumque, & nominatim illud quod in sola sanctitatis priuatione situm est, quàm cum gratia sanctificante creata, homini accidentariò adueniente per modum formæ physice. Attingit hanc radicem exclusionis peccati originalis à Christo, *S. Ambrosius* l. 2. in *Lucam*, ad illa verba capitis 2. *omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur*. Ait enim Christum dici sanctum quia immaculatus erat. [Non enim vitilis coitus, vuluæ virginalis secreta referant, sed immaculatum semen inuolabili vtero Spiritus sanctus infodit. Solus enim per omnia ex natis de femina sanctus Dominus Iesus, qui terrenæ contagia corruptelæ, immaculati partus nouitate non senserit, & cælesti Maiestate depulerit.] Nouitate cælestis partus, insinuat ratio ubi quam ostendimus Christum debuissè originali labe cedere, quia non erat natus ex voluntate vitæ & carnis. Depulsio verò eiusdem labis per Maiestatem cælestem, continet rationem nunc propositam, ex diuinitate tanquam vnguenti humanitatem perfundente, & animam Dei Verbo copulatam supra omnem æstimationem sanctificantem.

111. Concludamus itaque cum *Petro Cellensi* l. 7. de tabernac. in tractatione mystica verborum illorum, *penesq; in arca sanctificationem quam dabo tibi* Arcam enim interpretatur Christum, verba autem proposita, ad Christi sanctificationem facta ab initio conditi Christi factam, accommodans, subdit. [Eodem ordine nec non & ratione, prius arca constituitur, ac deinde testificatio poni in ea decernitur, quo prius facta, & ornata habitatione mundana, homo tanquam habitator & Dominus, ad vltimum creatus fuisse refertur. Nusquam profectò testificatio diuinitatis corporaliter reponenda, nisi in corpore Iesu, nisi in arca sanctificationis nisi in anima singulariter Deo digna, quæ fornace Spiritus sancti in creatione sua, coagulis originalibus carens excocta est, vt tam esset à peccato remota, quàm Deo vnita; Nec peccato præoccupata est, quam præuenit Deus in benedictionibus suis, vt quasi Spiritus laboraret in purgationibus eius, quam præparabat in diuinis desponsationibus: sed tam affuit sanctus in creatione, quàm pius in Verbi coniunctione. Nulla denique temporum distantia interveniente, arca constituitur, & demum testificatio in ea ponitur: sed simul arca animæ & corporis Iesu, cum impositione diuinitatis compingitur, vt assumendo crearetur, & creando assumeretur, & sanctificando assumeretur, siue crearetur, & assumendo crearetur, siue sanctificaretur.] Vsum huius doctrinæ, dabo in calce sequentis capitis.

CAPVT VI.

Sanctissima Christi anima decora, ex illustrioribus eorum in Scriptura typis, iuxta Patres, per Satyram.

112. Quid circa corporis Christi ornamenta superius præstiterimus, recensentes selecta quedam eorum nomina, præsertim typica à Patribus in Scripturis obseruata, præstare hic itidem circa animam aggredimur, eodem ordine; hoc est tumultuatè atque per Satyram.

Framea Dei.

S. Augustinus in Psal. 16. explicans illud, *erne animam meam ab impiis*, [hoc est, (inquit,) resuscitando me à morte, qui mihi ab impiis interrogata est: *Frameam tuam ab inimico manus tue*. Anima enim mea, framea tua est; quam assumpsit manus tua, id est, æterna virtus tua, ut per ipsam regna debellet iniquitatis, & diuidat Iustos ab impiis. Hanc ergo erue ab inimicis manus tuæ: hoc est, virtutis tuæ, hoc est ab inimicis meis.]

Adeps vituli sacri.

Origenes hom. 3. in Leuit. [Adipes qui offeruntur in munere, operientes interiora & renibus coherentes, potest sancta illa eius anima intelligi: quæ interiora quidem, id est, diuinitatis eius secretæ velabat: renibus autem, hoc est, corporali materiæ, quæ ex nobis castè sumpta fuerat, cohererebat: & media inter carnem, Deumque posita, Deificandam, sanctificandamque sacris altaribus, & diuinis ignibus illustrandam, & conservandam, secum ad cælos, naturam carnis imponit.]

Paradisus deliciarum.

113. Rupertus lib. 1. de oper. Spiritus sancti cap. 18. [Paradisum Spirituale, quod mirabile est, posuit Spiritus sanctus in homine isto. Attamen qui mirum hoc videbitur, ritè perpendenti amplitudinem animæ eius; Nec enim parvæ amplitudinis est anima in qua plenitudo diuinitatis inhabitat. Igitur ut verius dicam ipsa talis anima, paradisus deliciarum Dei facta est, totum intra se plantatum continent paradisum scripturarum: lignum etiam vitæ in medio paradisi, id est, ipsam Verbi æterni substantiam in medio suo, lignum quoque scientiæ boni & mali, id est, tentationes ex nobis susceptæ infirmitatis. Nam quia per illud lignum, primus homo tentatus, & victus est, rectè illo infirmitas humana intelligitur, per quam iste tentatus, fidelis inventus est: Tentatus, inquam, per omnia pro similitudine absque peccato, ut qui iam nouerat per scientiam, cognosceret etiam experimento signum nostrum, sciret expertus reprobatè malum, & eligere bonum.]

Virgo nupta Pontifici.

Cyillus lib. 12. in Leuit. vel potius Origenes hom. 12. in eundem librum Leuitici exponens quæ sit illa Virgo de genere suo, quam solum ducere poterat vxorem Pontifex Maximus, (ait,) eam Virginem omnis labis expertem, fuisse sanctissimam Christi animam, Christo summo Pontifici nostro coniunctam, quæ idcirco dicta sit de genere suo, quia anima Christi ex genere & ex substantia fuit humanarum omnium animarum.

Aqua inter cælum & firmamentum.

Anastasius Synaita lib. 2. Hexaëon. sub initium, exponens quod sit cælum superius, & firmamentum, & aqua intermedia, quorum mentio est in fronte Genesios [Superioris (inquit) cæli natura incōprehensibilis, mihi videtur habere typum ac figuram diuinitatis, inaspēctabilis & incōprehensibilis. Firmamentum autem quod ab imo ascendit, habet figuram Christi humanitatis, seu carnis. Aqua autem quæ cum eo ab imo ascendit, & intercepta fuit in medio primi, & quod propriè est cæli, & huius firmamenti quod ascendit ab imo; describit imaginem impollutæ eius animæ, quæ est media inter diuinitatem, & carnis crassitudinem, vtpotè quod sint hi duo cæli, ex quibus alterum quidem est aspectabile, alterum verò non cadit sub aspectum. Eius quod dictum est, testis est Gregorius in rebus diuinis præclarus, dicens. Domini animam esse intermedium inter diuinitatem, & carnis crassitudinem: anima enim & aqua, dicuntur signa vitæ, in diuina Scriptura.]

Balsamum Deitatis & carnis.

114. Innocentius III. serm. de rosa, qui est secundus de quarta Dominica quadragesimæ, cum dixisset, rosam quæ ea die à Pontifice benedicitur, esse symbolum Christi, subdit. [Triplex est autem in hoc flore materiæ, videlicet, aurum, muscus, balsamum. Sed mediante balsamo, muscus coniungitur auro: quia triplex est in Christo substantia, Deitas, corpus, & anima; Sed mediante anima corpus coniungitur Deitati, quia tantæ subtilitatis est diuina natura, ut corpori de limo terræ formato non congrueret vniri, nisi rationali (spiritu mediante.)

Vmbra diuinitatis.

Origenes 2. Periarch. cap. 6. [Sicut vmbra corporis nostri, inseparabilis est à corpore, & indeclinabiliter motus ac gestus corporis suscipit & gerit, sic patet cum animæ Christi opus ac motum qui ei inseparabiliter inhaerebat, & pro motu eius ac voluntate cuncta perpe- trabat, ostendere volentem, vmbra Christi Domini hanc vocasse, in qua vmbra nos vniremur in gentibus.]

Spiraculum vitæ.

Rupertus lib. 1. de oper. Spiritus sancti c. 16. præmissa literaliter interpretatione verborum illorum, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, de anima Adam, addita verba aptans ad Christum, & adiunctam animæ eius supernaturalem veluti animam. [Ceterum de isto dignis atque diuinis intelligi oportet, quia in ipsa in faciem eius, spiraculum vitæ, id est inspirauit in faciem eius, spiritum vitæ, Spiritus sanctus plastes eius, opifex munditiæ eius, ut requiesceret in eo, statione æterna permanens. Hic enim erat ille flos eius, illa requies eius, quem ipse sibi prophetica veritate pollicebatur.] Et mox. [In illam faciem, in illam gloriæ animæ rationem, totus spiritus Spiritus iste, creaturæque creatori, substantiam creatam Deo increato condignam, sua fecit plenitudine; id est, sapientia maturum, intellectum dilatatum, consilio prouidam, fortitudine constantem, scientia discretam, pietate mitem, sancto timore humilem. Non enim Verbum Dens hoc indigebat, ut Spiritu sancto repletur; quippe de quo æquè ut de Patre Deo procedit idem Spiritus sanctus: sed anima creata, nostræ inopis naturæ creatura, cum carne sua, hoc opus habebat, ut acciperet hunc Spiritum: quem & acceptum non ad mensuram, ut testatur Ioannes dicendo; Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum, sed totam, ut iam dictum est, septiformem Spiritus gratiam, unde & factus est homo in Spiritum viuificantem.]

Propitiatorium.

115. Magnificè Origenes 1.3. in Epist. ad Rom. ad illud capitis 3. quem proposuit Deus propitiatorium, ubi breuiter comprehensis iis quæ Exodi 25. dicuntur de propitiatorio, subdit. [Considerandum est, quibus in locis aurum quod in opere assumitur, aurum purum dicatur; quibus in locis aurum tantummodò, sine vlla adiectione ponatur. Quod ego in pluribus obseruans, deprehendisse mihi video, quod sicuti cum adiectione aurum purum dicitur, indicet sanctam illam & puram Iesu animam, quæ, peccatum non fecit, nec inuentus est in ore eius dolus; & ipsi conueniant mensuræ istæ longitudinis, ac latitudinis propitiatorii. Hæc quamuis explanare sit arduum, placet tamen aptare illi animæ sanctæ singula quæque quæ de propitiatorio referuntur. Primò ergo videamus quod dicit, longitudinem propitiatorii, neque duos solum cubitos habuisse, qui numerus loci- ciandis generandisque aptari corporibus solet; Neque tres integros, qui numerus excedere appellationem creaturæ consequitur, & naturæ incorporeæ consecra-

et; Duo ergo cubitos & dimidium, longitudinem dicit Propitiatorij, & vnum ac dimidium latitudinem. Quod si audere in talibus fas est quoniam dicit idem Apostolus de Christo, quod Dei & hominum mediator est, videtur mihi inter Deum & hominem media hæc esse omnia, quæ inferior quidem sit, à Trinitatis natura minus aliquid habens, nec tamen cum inde infra sit, duali numero qui in corpore positus deputatur, oblique eximia & præcellenti virtutum suarum eminentia miscetur. Hoc enim ostenditur, quod mensuram eius supra duos habere aliquid designavit, licet minus cubitos. Sed & quod latitudo eius, vnum & dimidium memoratur cubitum habere, propterea quidem de monade hæc singulari quid fastius describitur, non tamen ex toto in dualem, qui interdum etiam pro immodis ponitur, creuisse. Quamvis enim carnem nature nostre suscepit ex incoactaminata tamen virtute assumpta, & casta sancti Spiritus operatione formata est: Propterea ergo & Apostolus de Mediatore differtens, evidenti distinctione signavit dicens; *Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus*; quoscilicet mediatorum, non ad Deitatem Christi, sed ad humanitatem quæ est eius anima, referendum doceret. Longitudo ergo ponitur eius, & latitudo. Longitudo illud significat quod tendit ad Deum, & Trinitatque sociatur: Latitudo, quod inter homines, qui latam spaciosamque viam incedere soleant, conuerlatur, & ideo mediatoris recte nomine nuncupatur, quia, vt diximus, anima hæc sancta media fuit inter diuinitatem Trinitatis, & fragilitatem humanitatis. Per hæc verba mollitur, quod præiudicium de ratione mediatoris per animam. Quamvis enim constet, Christum esse verè Mediatorem & Redemptorem nostrum, non ratione solius animæ suæ, sed ratione totius humanitatis; tamen quia anima est corpus principium agendi, & ratio fuit cur caro vniret Verbo, (non enim vnita est caro, nisi intuitu animæ & mediante anima, vt suo loco vidimus:) idcirco aliquatenus valet, quod ratio mediatoris penes animam petatur. Sed pergit Origenes. [Hæc ergo intelligi potest Propitiatorium, secundum ea quæ supra diximus; cui superponi dicunt duo Cherubin, vnum ex latere hoc, & vnum ex latere altero. Cuius ergo formam duo ista Cherubin habere existimanda sunt: Cherubin enim in nostram linguam interpretatur, plenitudinem scientiarum significat. Vbi ergo dicimus plenitudinem scientiarum, nisi in eo de quo dicit Apostolus; *In quo sunt omnes Sapientia & scientia thesauri absconditi*: De verbo Dei vtique hæc dicit Apostolus, sed & de Spiritu sancto similia scribit, cum dicit; *nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum, spiritus enim omnia scrutatur, etiam alia Dei*. Significat igitur, vt ego arbitror, in isto Propitiatorio, hoc est in anima Iesu, verbū Dei qui est vnigenitus filius, & Spiritum eius sanctum semper habitare: Et hoc est quod indicant duo Cherubin Propitiatorio superposita. Sed & illud obserua quod non dixit Cherubin vnum ex latere dextro, & Cherubin aliud ex latere sinistro, sed ait; Cherubin vnum ex latere hoc, & Cherubin aliud ex latere altero: vt ostenderet, in illo Propitiatorio, hoc est in anima Christi, sistitur nihil fuisse. Sunt autem & pennata, duo hæc Cherubin: & non solum pennata, sed & alas suas prouidentia. Si quis Sanctorum summum habere à Deo testimonium meruit, dictum est, quod Deus esset cum eo, sicut ad Iesum Naue dicitur; *Deum erat cum ipso, sicut fuit cum Moise famulo eius*. Sicubi verò pollicitatio maioris à Deo muneris datur, dicitur; *& ero in eis, & ambulabo inter eos*. Nullam verò inter homines ita beatam, & ita excellentem reperies animam, nisi hanc solum, in qua tantam latitudinis, tantum capacitaris invenit Verbum Dei, & Spiritus sanctus, vt non solum habitare, sed & alas expandere, & nouo Sacramenti ritus aliquando etiam volitare dicatur. Faciem quoque

Theoph. Raynaldi Christum.

contra se inuicem super hanc beatam animam Cherubin vtrique habere dicuntur; per quod consors ei & consonus à filio Dei, & à Spiritu sancto, diuinitatis census infunditur. Vbi autem superponitur hæc anima Deo plena, in qua complacuit habitare omnem plenitudinem Deitatis; *super arcam*, inquit, *Testamenti*.]

Vrta aurea habens manna, plenitudinem sanctitatis.

S. Thomas 1.2. q. 102. art. 4. ad 6.

Ignis, thuribulo carnis humanæ illatus.

S. Augustinus serm. 98. de temp. [Abijt Aaron vt offerret incensum pro populo, & stetit inter viuos & mortuos, & mitigatus est furor Dei. Si intellexisti historie ordinem, & oculis, vt ita dicam, cernere potuisti stantem Pontificem medium inter viuos & mortuos, accende nunc ad Verbi huius celsiora fastigia, & vide quomodo verus Pontifex Iesus Christus, assumptio thuribulo carnis humanæ, de superposito igne altaris, (anima sine dubio illa magnifica, cum qua natus est in carne) adiecto etiam incenso, qui est Spiritus immaculatus, medius inter viuos & mortuos stetit, & morem non permisit vitæ grassari, sed sicut Apostolus dixit, *deservit enim qui habebat mortis imperium, id est diabolum*; vt qui in ipsum Pontificem Christum credit, iam non moriatur, sed viuat in æternum. Hoc fuit ergo mysterium, quod postea futurum, iam tunc Angelus ille, qui populum vastabat, expauit. Agnoscebat enim figuram thuribuli, & ignis & incensi, & qualis offerenda esset Deo hostia, ab eo qui medius mortuorum viuentiumque constituendus erat, prævidebat. Et illos quidem tunc imago præfigurata saluauit, ad nos autem salutis veritas ipsa peruenit. Neque enim indumenta Pontificis purpura, ac lana, byssoque contexta erubuit Angelus ille vultor, sed ista quæ futura erant indumenta Domini & Saluatoris nostri singularis & magni Pontificis intellexit, & his celsit, quibus vtique vniuersa creatura inferior erat.

Velamen sancti sanctorum.

117. Anastasius Synaita lib. 4. de rectæ fidei dogmatibus, sub finem. [Se esse Deum declarabat obnubilatam carne, quam vocat Paulus, *carasitæa*, velamen scilicet. Est siquidem *carasitæa*, velum id quod regendum sanctis oppanditur, & quæ sanctissima sanctorum sunt protegit, in quæ semel singulis annis solus ingreditur Pontifex, pro se & populi ignorantis repropitiaturus. Deum itaque quod operiebatur, priore quidem velo, *sanctum*; quod autem secundo, *sanctum sanctorum* dicebatur. Quare multa fuit fiducia dicimus, primum quidem velum designasse corpus Christi: secundum autem, animam. Sicut enim collatione habita ad corpus illud sanctum, anima est adoperta corpore, quasi priore velo: perinde & ad Deum Verbum, secundum velamen, anima vtique est.]

Domus Dei.

Euthymius ad illud Psalmi 41. *transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei*, tabernaculum admirabile sacrum Christi corpus sine semine compactum exponit. Locum tabernaculi, ait esse Verbum de quo dictum legimus. *Est locus apud me*. Tandem domum Dei, ait esse Christi animam.

Domus sapientia.

118. Gillebertus, aut quibus alius autor altercationis Synagoge & Ecclesie cap. 10. [Si sedes sapientiæ anima iusti, multo magis domus sapientiæ anima Christi. Amplius dicere debui, si amplius dicere potuisssem. Quia enim sapientia in ea habitat, ideo domus dixit, sed quia corporaliter habitat, ideo amplius dicere debui.]

Pp 2

Rose

Prosequitur hæc pluribus, tum addit. [Dei igitur habitaculum dignum, puta Christi anima, quamvis assumpta, sapientie tamen immutabili unita, scientie plenitudinem habuit, & hoc sine mensura. Sapientia ergo ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Quænam sunt istæ columnæ? Spiritus Domini: Spiritus sapientie, & intellectus, consilij & fortitudinis scientie, & pietatis, ac timoris Domini. Ecce habes columnas septem, in domo Domini. Sed unde sunt excisæ? De monte umbrato & condenso, de monte æternitatis, de monte diuinæ maiestatis. Porro columnas istas de monte excisas, in ædificium domus suæ posuit, & tamen montem non minuit.]

Vsus doctrina.

Vsus doctrinæ esse potest, sensus commiserationis non perfectorius, ex eo quod anima tam benedicta, tantis Dei benedictionibus præuenta, tot extraordinariis decoribus illustrissima, nostri causa per totam Christi vitam, tam acerbè diuexata, tot tantisque ærumnarum molibus, facta sit obnoxia. Manducant ad hunc de sanctissima Christi anima sensum, illa ipsiusmet Christi apud Ieremiam c. 12. *Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius.* Quibus verbis Hieronymus, Theodoretus, alique annuunt contineri sensum quem indicamus. Et verò quem attentius ista recogitantem non tangat, tam electæ, tam Deo amatæ animæ, talis tamque diuturna vexatio?

SECTIO II.

De aduentitiis perfectionibus, cum naturæ, tum gratia ornantibus facultates humanas Christi Domini.

119. **A** Perfectione substantiæ, progredior ad perfectionem humanarum Christi facultatum: quæ ut supra constitutum est, totidem in Christo fuerunt, ac in nobis; nempe si agatur de superioribus, quæ & rationales dicuntur, intellectus & voluntas, ac eis subiuncta facultas exequens, seu vis motrix inorganica. Si autem sermo sit de facultatibus irrationalibus, aliæ consequuntur gradum animæ vegetantem, aliæ sentientem. Sed quod circa vim motricem inorganicam, itémque circa potentias vegetativas nulla occurrat perfectio quæ consideratione specialem deponat; ut neque circa sensitivas facultates externas aut internas; idcirco intellectum duxat, & voluntatem, & appetitum, subiunctamque ei potentiâ motuam corpoream, siue exequentem attingemus. Auspicandum verò est ab intellectu, quippe cæterarum omnium facultatum princeps, & ut Philo Iudæus scitè dixit I. quod Deus immutabilis, anima oculorita ut quemadmodum eodem Philone iudice, visus est Rex sensuum, ita facultatû superiorum Rex & princeps, sit intellectus: cuius ratione Christus à Theodoro orat. de carit. *font veritatis & abyssus cognitionis*, nominatus est: ut propterea non vulgari bolide ad tentandam eum abyssum, nobis sit opus. Inde ad voluntatem, & reliquis potentias propositas delabemur.

CAPUT I.

De naturalibus & supernaturalibus perfectionibus, humani intellectus Christi Domini.

Statim primò varias perfectiones naturæ & gratiæ in Christi Domini intellectu, earumque existentiam stabiliam; tum sigillatim de singularum quidditate & causis disseram. Quo spectat tractatio obiecti, actus, & habitus vniuersiusque notitiæ humanum Christi in-

tellectum exornantis. Actus enim est maxima perfectio potentie, quæ tota in actum collinuat. Impossibile autem est actum perspicere, nisi & obiectum, & habitus, siue actus quilibet primi ad potentiam adiuncti intelligantur. Hæc sunt quæ de perfectionibus cum naturæ, gratiæ, humano Christi intellectu collatis, tractanda occurrunt. Quæ verò ad depulsionem imperfectionum nostratiq; ab intellectu Christi pertinent, seorsim exequar.

Christum, formaliter per notitiā increatam intellexisse, vel intelligere potuisse, qui dixerint.

120. Verum quia intellectus Christi de quo perficiendo agitur, non est nisi humanus; hic autem perfecti non potest nisi per intellectionem, cuiusve adiuncta; præmittendum ante omnia est, humanum Christi intellectum esse notitiæ creatæ capacem. Constat enim intellectum idcirco conferti, ut fiat vel fieri possit intellectio. Quorsum enim daretur potentia, nisi anima esset capax actus? Imo si nihil est quod dedecet, aliterve prohibeat, non est congruum ut potentia semper ferietur, torpescatque otiosa. Ac proinde fateri adigimur, intellectum Christi humanum, esse capacem intellectionis creatæ per intellectum Christo collatum producibilis, eamque reuera per Christi intellectum fuisse elicitam. Hoc pono contra errorem quotindam, quibus visum est, animam Christi non alia cognitione usam esse, quàm diuinā & increatā. Pro quo errore citari potest Ioannes de Ripa. Nam quamvis eius argumenta quæ lare profert Capreolus in 3. d. 14. q. 1. art. 2. in argumentis contra primam tantum probent id esse possibile, tamen autoritates ex quibus postremo argumentatur, monstrant enim existimasse ita quoque de facto accidisse, & Christum notitiæ creatæ expectrem, diuinā sola potitum saltem ad contuendum Deum. Pro eadem possibilitate cognitionis diuinæ formaliter communicatæ intellectui humano, ita ut per eam intelligat, Capreolus 23. argumenta ab aliis apud Adamum prolata recitat. Citati item in eam rem soler Ioannes de Neapoli. Inter antiquos fusè laborant pro abroganda Christo scientia creatā, Hugo Victorinus tom. 3. tract. de sapientia animæ Christi: ubi quantum initio, illud dumtaxat querere videatur, an scientia Christi æquet diuinam; tamen eò tandem devenit, ut scientiam Christi creatam, malit abrogare. Eius hæc sunt verba. [Quicumque in eo perstitunt, ut hoc asserere contendunt, quod alia fuerit illa sapientia, quæ anima Christi, sapiens exiit, alia, quæ anima Christi unita fuit, ego nemini præiudicium facere volo: videant ipsi quo sensu hoc asserant, ne forte carnale sit, magis sua quàm vera pronuntians. Hoc vnum ego indubitanter assero; quod aut alia sapientia præter diuinam in anima Christi non fuit; aut si alia fuit, æqualis illi non fuit. Hoc credenti, quod non credit, non bene cedit. Ad cætera ego non cogo sed suadeo.] Item docet in Dionysium de eol. Hierarch. Eandem sententiam tenere videtur Gillebertus in altercatione Synagoge & Ecclesiæ cap. 20. refellens quemdam qui dixerat Christum minus fuisse sapientem in præsepio, quàm in patibulo. Cæterum vel opus illud non est Gilleberti, vel tantum ibi voluit animam Christi non creuisse in cognitione, quandoquidem vniebatur diuinæ scientiæ ab initio: idcircoque nihil eam vnquam fugere potuit, quod is quem ibi impugnat, differebat. Nam saltem per diuinam scientiam, omnia à suæ conditionis initio sciuit, quod vnum probant argumenta illius Autoris. Esse tamen verè in anima Christi scientiam creatam, probat ex instructo indubitatus Gillebertus serm. 8. in Cant. & contrarium eiusdem placitum refellit. Ut in eius rei discussionem accurate descendamus, duo sunt hic attendenda. Primum spectat, an de facto verum sit, nullam fuisse in Christo notitiā creatam.